

1473 draginta millia , illorum decem desiderata : Persæ virtute superiores , Turci arte & ingenio fuere . Hæc igitur quum ex Zeni literis imperator cognovisset , ex Cilicia in Cyprum concessit ; nam ob adversam pugnam Zenus scripserat , Regem in maritimam oram eo anno non venturum . Mocenicus puerum , quem per eos dies Regina enixa , erat , ex baptismi lavacro sustulit . Erat Andreas Cornarius in insula , Reginae patruus , vir magni ingenii : hujus consilio in rerum administratione præcipue Regina utebatur . Ab eo Mocenicus multa de statu insulæ sciscitatus , cognovit omnia pacata esse : verum ne tantum regnum præsidio nudum relinqueretur , præter naves illas quæ cum muneribus eo sub initium æstatis venerant , duas triremes addidit , quas omnes Phamagustæ præsidio esse voluit , atque Cornarii dicto audientes esse . Eo Pontificis Legatus cum duabus triremibus venit , reliquas Chium a quæstore abductas docuit . Inde non multo post ambo profecti , in Rhodum primo , inde in Chium transivere : Cycladasque circumvecti , in Peloponnesum venerunt : unde Spalatino Antistite in Italiam abeunte , Venetus Methonæ subsedit . Hæc æstate illa foris gesta . Thronus Princeps medio fere autumno vita decessit , quum anno uno & mensibus octo Rempublicam administrasset . Ad ædem Minorum situs est , ubi Philippus filius magnificentissimum illi ex candido marmore & auro sepulchrum secus aram maximam erexit . Nicolaus Marcellus , homo eximie pietatis , in demortui locum suffectus est . Hujus principatu in comitio vetusta rerum series , quas Veneti pro Alexandro , Romano Pontifice , adversus Fædericum Imperatorem olim gessere , novafiguratione cœpta est instaurari . Negocium Gentili Bellino datum , viro nostra tempestate pingendi peritissimo , quippe quem ad Othomanum Turcorum Imperatorem , post pacem cum eo factam , Con-

stan-

*Nicolaus
Marcellus
in locum
Throni Du-
cis demor-
tui surro-
gatur.*